

[*al.*, Mansacho], Sancti Juliani, Sancti Rustici, A infestatione turbetur; sed, sicut sanctissimi prædecessoris nostri Leonis IX, auctoritate sancitum est, quiete in perpetuum perseveret. Proinde nec extra urbem, nec intra, Auxiensi archiepiscopo et ejus canonicis liceat novum cœmeterium instituere; sed tam archiepiscopi quam regulares, aut irregulares clerici, sive laici de quibus consuetudo hactenus fuit, sepulture locum apud vos futuris temporibus sortiantur, etc.

Data apud Moyssacum, per manum Joannis, S. Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis, in Idus Maii, indict. iv, Dominicæ Incarn. anno 1097 (45), pontificatus autem domini Urbani papæ II, anno ix

CXCVIII.

Urbani papæ II diploma de donatione abbatiæ Belli-Loci.

(Anno 1096.)

[*Bibliotheca Cluniacensis*, p. 525.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Hugoni, Cluniacensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Belli-Loci monasterium longis jam temporibus sine monasticæ regulæ disciplina fuit, et sicut rerum secularium detrimentis, ita etiam animarum perditionibus patuit. Et monachi enim abbatem suum, sæculari præsidio fulti expulerant, et adversus monachos abbas assiduus clamoribus querebatur. Unde etiam locus ille per confratrem nostrum Bituricensem archiepiscopum aliquandiu excommunicationi addictus fuerat; et miles ille Hugo, qui contra fas eidem monasterio incumbibat, etiam monachis ad præve vivendum patronus exstiterat, post secundam vel tertiam admonitionis nostræ dulcedinem, beati Petri gladio, et canonicæ districtiōis ultione percussus est. Nunc secundum omnipotentis Dei dispositionem, et frater ille quem a monasterio monachorum nequitia exturbaverat, humanis rebus exemptus est: et miles ille qui sæculari potestate monasterium occupabat, præsentem domino suo comite Raimundo, quidquid ille hactenus potestatis exercuerat, nostris manibus refutavit; et locum ipsum per nos Deo ac beato Petro restituit, rogans et obsecrans ut per tuam et fratrum tuorum sollicitudinem in eodem loco vigor monastici ordinis reparetur. Cujus petitioni assensum præbentes, eundem locum tam tuæ quam tuorum successorum curæ perpetuo regendum ac disponendum præsentis decreti auctoritate committimus, rogantes atque præcipientes ut Belli-Loci monasterium omnino deinceps, tanquam Cluniacensis cœnobiî membrum, sollicite regas; et abbatem illic de Cluniacensi semper congregatione constituas, quatenus, auxiliante Domino, per vestram sollicitudinem, vigor illius regularis disciplinæ restauretur, et conservetur.

Datum Tolosæ, x Kal. Junii.

Data Tolosæ Nonis Maii, indictione iv, anno Dominicæ Incarnationis 1097, per manum Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconi cardinalis.

CXCVII.

Epistola Urbani II papæ ad Hugonem abbatem Cluniacensem.

(Anno 1096.)

[Dom Bouquet, *Recueil*, t. XIV, p. 322.]

URBANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Hugoni, abbati Cluniacensi, salutem et apostolicam benedictionem.

Apostolicæ sedis sollicitudo nos admonet religiosorum locorum quieti attentius providere. Idcirco tuas, charissime frater, per communem filium Guidonem S. Orientii priorem et fratres ipsius, preces nequaquam contemnendas duximus, tum justitiæ universitatis intuitu, tum speciali illa dilectione quam tibi, sub cujus cura et sui monasterii jura consistunt, omnibusque fratribus tuis pro ampliori religione debemus. Sancti igitur Orientii monasterium in Auxiensi suburbio situm, cui experientie tuæ præcepto ac dispositione præsidet, cum universis ad id pertinentibus per decreti præsentis paginam vestro Cluniacensi cœnobiio confirmantes, apostolicæ sedis auctoritate munimus; illud præcipue ac singulariter statuentes, ut antiqua ipsius cœmeterii constitutio nulla æmulatorum quorumlibet

(45) Anno 1096, qui more Pisanorum computabatur annus 1097, inceptus a die Martii 25 illius anni.